

etiam quo maius elucesceret Monstrum, inter Charitatis Incendia vnus Phœnix, & vnicus. Licet verò à Michaële Archangelo Charitatis Insigne quasi pro Vexillo retulerit, visus est idem & à Seraphico ipso cum Nomine retulisse. Vt sub vtroque, sed fidelissimo Lucifero Sol noster militans Victorias faceret, sicut Ioannes prædixerat pugnauit, Michaël cum Dracone, & fecit Victoriam.

**T**ot Franciscus ad lucem Mortuos reuocauit, nempe 12. vt Miraculum, quod in reliquis Sanctis, pro Sole aliquando resplenduit vnicum, in Francisco Duodena quasi per Signa totum Zodiacū peculiarem effecerint; nunquam clariorem quam cum Sol noster totidem extinctos in Lucem asseruit.

**B**enè in Geminorum Signo, qui alterna morte vitam sibi substituerunt inter tot Mortuos ad vitam reuocatos, Vnus ille præponitur, qui bis Francisci ad imperium rediuius, ac renascens Geminam illi duplicis beneficij Coronam adauxit. Quippè qui Orpheo maior, feliciorque non semel Euridicem, sed bis eandem è Tumulo Animam in lucem asseruit.

**S**ed quia Mortuis similes Cæci sunt, huic Miraculum adnectitur illud, cum Franciscus Cæco Lucem calce illicā reddidit, vt quæ potius Mortuos cōdere, ac rodere consuevit, Lucem non solum extinctam, sed tumultatam excitaret. Et quia Christus Dominus non nisi Luto, quo Adam genitus, Lucem visus est condere, ipse eandem ac, si Eva foret, quæ ædificata dicitur, Cæmento nempe calce reficere voluit.